

E P I S T O L A

*eum verbis proponerent. Tunc omninò & ipse suade-
 rem, ut consuetæ præcepta peregrinis ac novis præfer-
 rentur. Sed hîc longe alia ratio est. Et si enim mul-
 tos annos ita innutiantur usitatis præceptis ado-
 lescentes: tamen nihilominus postea, quando Lati-
 nos Autores evolvunt consuetæ illa dediscenda sunt,
 & contrarium amplectendum. Exempli gratiâ:
 Etiam si multis annis innutritus & assuetus sis hu-
 jusmodi traditionibus vulgaris Grammaticæ: Pa-
 radisus, & acer pro arbore esse fœminina: Cor-
 bis, alvus, hystrix, sandyx esse Masculina: Terreo
 esse Neutrum & carere Supino, & quæ similes innu-
 mera sunt per totum librum, postea verò apud
 Philippum, Camerarium & omnes Classicos autores
 quæ tu Fœminina esse è libro tuo didicisti, non nisi
 Masculino (ut paradisus) vel Neutro Genere (ut acer)
 usurpari vides: item quæ tu Masculina esse longâ
 consuetudine edoctus es, tantummodò Fœminino ge-
 nere efferrî animadvertis, & quando apud Cicero-
 nem, Ovidium & alios Terreor territus sum, tibi oc-
 currit, quod prius Neutrum esse & carere Supino di-
 didicisti, num te quicquam etiam juvat cõtrariis pla-
 nè præceptis ab ineunte ætate ad virilem usq; innu-
 tritum & assuetum esse? Vix reor equidem. Prestat
 igitur absq; omni mora pueros à vitiosa innutritio-
 ne vel assuetudine retrahere, & novitios nunquã ad
 eam adhibere, quàm post aliquot lustra demum in-
 telligere, omne superius tẽpus nobis turpiter periis-
 se, & jam viros cum pudore & rubore talia doceri,
 qualis*

qualis